



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

Henricvs V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

adiuuarent partes Rodulphi, & statuerent eum Regem, additiq; sunt eius parti Saxones, & Sæui. Et adhuc clarius de eodem ad an. 1077. Rodolphus, inquit, à Principibus Saxonia, fauentibus Sigfrido Moguntino, & Adalberone VVirceburgensi, Bertholdo quoq; Duce Carinthia in presentia quorundam Romane Sedis Legatorum apud Forchem in Regem eleuatur, & ab eodem Sigfrido apud Moguntiam XII. Cal. April. in Regem ungitur.

HERMANNVS Lucelburg.

MORTVO Rudolpho ann. 1080. Regni Teutonici Proceres Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, & Comites, conuentu facto rursus elegerunt An. 1081. Henrico adhuc superstite, Hermannum Lucelburgensem, vt refert idem Bertholdus; Et Albertus Abbas Stad. ad an. 1082. *Hermannus*, inquit, à Saxonibus (quorum maior numerus erat,) *Rex constituitur.*

HENRICVS V.

ILLO etiam defuncto ann. 1088. Henrico adhuc diu superuiente, filius eius Henricus Quintus, patri excommunicato, impænitentii, incorrigibili bellum inferens, insignia Regni extorquet, sibiq; iam conferri, ac dari postu-

postulat, hortans eum vt se ad obediendum Sedi Apostolicæ submittat. Pater verò conuentum (vt ait Otto Frising. lib. 7. c. 10.) pro hac re Principum coadunari rogat. sicq; ad petitionē suam Curia Moguntia in proximo Natali Domini celebranda cunctis Regni Primoribus indicitur. Igitur * anno 1106. (vt refert ib. ca. II. in Natali Domini * eodemq; anno ex mœrore obiit. maximus conuentus Principum Moguntia factus est, vbi superuenientes Apostolicæ Sedis Legati anathema à Romanis Pontificibus in Imperatorem factum manifestè omnibus, qui aderant, promulgabant. Eapropter dum ipse in quodam castro positus, at custodiæ mancipatus, audientiam peteret, Principes seditionem vulgi timentes, ei apud Inglinheim occurrunt, ibiq; multis modis commotum, vel iuxta alios circumuentum, ac coactum insignia Regni resignare, ac filio mittere &c. persuadent. Et post pauca: Reuersi ad filium Optimates Imperialia deferunt, eumq; primò à patre electum per impositionem manus Apostolicæ Sedis Legatorum, cunctorumq; electione XC. ab Augusto Regē creant. Albertus Abbas Stad. ad an. 1106. Henricus, inquit, huius nominis Quintus, 93 ab Augusto, regnare capit adhuc viuente Patre. Mediante igitur Henrico iuniore tantus apud Moguntiam factus est in Natali Dominico totius Regni Teutonici conuentus, quantus per multa annorum curricula nusquam est visus. Referebant enim qui aderant, 52 optimates ibi tunc, vel eo amplius laicos affuisse, adeò vt solus Dux Saxonie Magnus, quem iam grauior

gravior atas impediēbat, defuisset. Et statim post: Venerunt ergo Principes ad eum Hingelshem, scilicet Moguntinus, Coloniensis, Wormatiensis, & Imperialia ab ipso exegerunt.

LOTHARIUS II.

HENRICO V. successit Lotharius II. Dux Saxoniae à Comitibus Supplinburgi, cuius electionem his narrat verbis Otto Frising. de gestis Frid. I. Imp. lib. I. c. 16. Igitur Albertus (nam id iuris dum Regnum vacat, Moguntini Archiepiscopi ab antiquiorib. esse traditur) principes Regni in ipsa ciuitate Moguntina tempore Autumnali conuocat, Et mox: ipse Lotharium Ducem Saxonum, viram tamen ex probitatis industria omni honore dignum, plus familiari rei, quantum in ipso erat, quam communi commodo consulens, in Regem à cunctis qui aderant, Principibus, eligi persuasit. Et Chron. lib. 7. c. 17. Anno, inquit, 1125. Defuncto absq. herede Henrico V. Principes Moguntia conueniunt, &c. Tandem Lotharius natione Saxo, voto omnium renitens valdè & reclamans ad regnum tractus, sub praesentia Sedis Apostolica Legati XCIII. ab Augusto regnavit. Sigebertus æqualis, vel paucis annis senior, rem magis dilucidè sic narrat ad an. 1126. Mense Augusto Legati Apostolicae Sedis, Archiepiscopi cum Episcopis, & Optimatibus Imperij